

lepore, eademque venustate ornare. Natura enim hominibus ita fauere reperitur, ut omnibus saeculis ingenia, si non multorum, at saltem quorundam, aequae liberaliter impertiat suis bonis. Deinde libenter quidem confiteor, neque vlllo modo inficias eo, nonnulla horum odariorum²³ non carere venustate, nec qua sententias, nec qua verba, eorumque iuncturam, et ordinem.* At illa ipsa poematia quum non sint lingua Ionica composita: quis non in eam suspicionem adducatur, ut credat, ea a recentibus poetis imitando expressa esse ex Anacreontis odariis; praesertim quum in multo pluribus eorum omnes partes, et numeri, venustatis desiderentur? Nam quum pulchritudo natiua censeatur, cum sententiis venustis, et acutis, neque tamen arcessitis, sed ab ipsa rerum natura sponte profectis, earumque iunctura, et concinnitate, elaborata illa quidem, sed latente, quae non manifesto deprehendatur; tum verbis elegantibus, et aptis, quae ipso sono aures delectent, neque tamen quaesitis, sed iis, quae subito occurrisse menti videantur, eorumque structura laeui, nec aspera, ut ipsa occupasse locum quaeque suum, versusque confecisse, appareat: profecto lectores horum odariorum vel mediocriter attenti facile, spero, inuenient, in plerisque eorum,²⁴ non tantum sententiarum elegantiam, et concinnitatem, simplicem, iuncturaeque earum laeuitatem gratam, requiri, sed ipsius quoque orationis eam rationem esse, et structuram, videbunt, ut verba vndique conquisita, ex Homeri in primis carminibus, mirentur,

b 2

tur,

23. Vid. odarr. 8. 11. 14. 15. 16. 17. 19. 20. 23. 28. 29. 30. 32. 33. 36. 40. 44.

* Nam in pleraque horum odariorum cadit id, quod Cicero Orat. 55. dixit de omnibus carminibus lyricis, sed in versibus, inquit, res est apertior: quanquam etiam

a modis quibusdam, cantu remoto, soluta esse videatur oratio, maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui *λυρικοί* a Graecis nominantur: quos quum cantu spoliaueris, nuda paene remanet oratio.

24. Vid. odarr. 3. 13. 18. 39. 41. 42. 50. 51. 52. 53.